



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

I. Des Erzbischofes Wichmann von Magdeburg Bestätigung des Stifts Jericho, mit eingeschalteter Erzählung von den Verhältnissen desselben seit seiner Gründung, vom Jahre 1172

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54314)

Vermischte die Prignitz betreffende Urkunden. *)

- I. Des Erzbischofes Wichmann von Magdeburg Befätigung des Stiffts Jericho, mit eingeschalteter Erzählung von den Verhältnissen desselben seit seiner Gründung, vom Jahre 1172.

In nomine sancte et individue trinitatis, Wichmannus, dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus. Quoniam annuente Domino sancte dei ecclesie pastoralis auctoritate presumus, omnibus Christi fidelibus sed maxime sancte religionis professoribus consilium et pietatis officium impendere debemus. Hujus rei gratia petitioni fratrum nostrorum in Jericho libenter annuentes causam eorum presentis scripto explicamus, quorum utique congregationem, etsi nostris interjaceat possessionibus, cum omni tamen iure, tam temporalium suorum quam spiritualium, ad Havelbergensem ecclesiam pertinere sane recognoscimus, cui non solum de suis annuere, verum etiam de nostris nos convenit solatium prestare. Vt ergo hinc certius innotescat omnibus, quam rectam in hac re considerationem habeamus, utile autumamus, si de prima fundatione congregationis alius aliquid repetamus. Occiso quippe a Thietmarsiensibus glorioso Comite de Staden Rodolfo, Marchionis Rodulphi filio, Dominus Hartuigus, frater eiusdem occisi principis, Bremensis ecclesie primo summus prepositus postea vero Archiepiscopus, nec non religiosa et Deo deuota mater illorum, Domina Richardis, ipsam congregationem fratrum, priusquam Magdeburgensem ecclesiam castri sui Jericho et pertinentiarum ejus heredem fecissent, pro sua suorumque recordatione et salute instituerunt, fundantes eam in parochiali ecclesia ante Castellum Jericho posita et contradentes inuestituram ejus coram Domino Conrado rege in civitate Magdeburg Havelbergensi ecclesie, ubi et Albertus Marchio et filius suus Otto susceperunt eandem congregationem sub sua defensionem. Cum autem fratres ibi per ali-

*) Ein Theil der folgenden Urkunden ist bei den früheren Abschnitten dieses Werkes, obwohl er dahin gehört, unberücksichtigt geblieben, weil selbiger erst später aufgefunden ist. Ein anderer Theil ist zwar in den Abhandlungen berücksichtigt, aber selber nicht mitgetheilt, weil selbiger in anderen Werken bereits abgedruckt war, und der Herausgeber erst später den Plan dieser Sammlung dahin erweiterte, auch die in älteren und selten gewordenen Geschichtswerken bereits mitgetheilten Urkunden hier nochmals abdrucken zu lassen. Der größte Theil der nachfolgenden Sammlung aber besteht aus solchen, die jetzt nicht bekannt gewordenen Urkunden, welche sich den früheren Abschnitten nicht passend unterordnen ließen.

quot annos mansissent, sed locus ille religioni minus commodus esset, Dominus Anselmus, Havelbergensis ecclesie in tempore illo venerabilis Episcopus, longe antequam ad Rauennatis Archiepiscopatus culmen transumptus esset, tam magnum eorum correxit incommodum per Dominum Fridericum Archiepiscopum, nostrum videlicet in Magdeburgensi ecclesia predecessores, et per Henricum et Rodolfum de Jericho, duos fratres, illi quippe ipsum castrum sicut primitus ex beneficio Domini Hartuici, ita postmodum ex auctoritate Magdeburgensis ecclesie possidebant, quibus et Otto Marchio post obitum patris Aduocatiam claustrum, quatenus exinde fratribus majoris beneuolentia debitores existerent, concessit. Ad beneuolentiam ergo per Episcopum Anselmum inclinati, fauente nimirum huic negotio vitrico eorum Hartmanno et exhortante christianissima eorum matre Gudela, fratribus primo agros ville contiguos, quos hodie possident, dederunt, deinde vero locum ejus extra villam addiderunt, ubi mansionem quietam magis et secretam ac priori omnino commodiorem habentes, templum cum claustrum, sicut re ipsa apparet, exstruxerunt. Sic itaque possessio claustrum a septentrionali latere ville circa lacum, qui Clincus dicitur, incipit et secus curuum ejusdem amnis litus continue girans usque ad terminos adjacentis villule, que Stenitz*) dicitur ad orientem portendit, abinde vero aduersus meridiem infra limites sibi designatas reflexa usque ad villam Jericho, a qua ceperat, redit et desinit. Superaddiderunt quoque fratribus pratum quoddam inter prata civium supra littus Albis situm et suis hodie terminis per longum et latum euidenter designatum, quatenus pro his et aliis suis erga claustrum meritis, ipsis simul cum patre suo Alberto et matre Gudela et vitrico Hartmanno et preclarissimis Dominis suis, magnifico viro Marchione Rodolfo et venerabili ejus conjugate Domina Richarde eorundemque filiis Hartuico scilicet Bremensi Archiepiscopo, Rodolfo quoque et Vdone permagnis principibus et cum omnibus proximis suis piam recordationem et eternam cum piis obtinerent salutem. Quia vero Dominus Hartuicus et mater ejus sub ipso jam demum tempore castrum suum Jericho cum aliis suis patrimoniis juri Magdeburgensis ecclesie preter jam dictam parochiam mancipauerant, fratres prenominatam possessionem de manu domini Friderici Archiepiscopi, nostri scilicet predecessoris, ad suos perpetuos usus mediante domino Anselmo Episcopo suo cum Aduocatis suis Henrico et Rodolfo susceperunt, et Magdeburgensi ecclesie XI mansos in villa sua, que Nizekendorp vel alio nomine Gerdekin dicitur, sub concambii vicissitudine restituerunt. Nos igitur super his omnibus predictis rationabile factum priorum recolentes, approbamus concambium illud et ratum ducimus, et ut utrobique inuiolabili firmitate consistat decernimus. Preterea confirmamus eisdem seruis dei octauam partem ville Buck cum pratis et pertinentiis suis, que predictus vitricus et mater, prefatorum germanorum legitima emptione possessa fratribus pro animabus suis possidenda contradiderunt. Cui rei ut rata esset illi pariter assenserunt, quin etiam postremo omnem querelam, quam aliqui aduersus claustrum ex quacunque occasione seu pro mantis seu decimis mouere ceperant, in manu domini Walonis Havelbergensis Episcopi coram Domino Wolmaro Brandenburgensi Episcopo et Domino Ottone Marchione et coram multis aliis fidelibus testibus, deposuerunt, et ut fratres deinceps quieto et irrefragabili jure possiderent unanimiter resignauerunt. Super hec autem specialiter expressa confirmamus uniuersaliter eisdem fratribus ad quiete possessionis perpetuam facultatem omnia simul, que hodie ex prima principum, qui claustrum idem fundauerant, largitione possident, hoc est in villa Jericho parochialem, ut dictum est, ecclesiam, cum omni iustitia sua villam quoque Wulkow et parochialem in ea ecclesiam cum manso uno in villa Britz et cum omni jure suo, Itemque aliam villam que Slaunica Wulkow dicitur et prenominatam nichilominus villam

*) Buchholtz: Stenitz, Gerden: Stenitz.

Nizekendorp, exceptis in ea XI. mansis ad concambium ut jam diximus assignatis, unum quoque mansum situm in Schollene iuxta fluvium Bodam solentem X solidos. Preterea firma sint eis beneficia Domini Anselmi Episcopi sui, quibus prebendam eorum adauxit, dans eis curtem infra vallum antiquum Kabeliz positam, itemque villam proxime adjacentem, que similiter Kabeliz appellatur, quarum utramque deinde successor suus Dominus Walo illis in prebendam confirmavit, addens et ipse predictis beneficiis villam suam que Vifca*) dicitur. Hec igitur cuncta, sicut superius comprehensa sunt, cum omnibus pertinentiis suis, redditibus, decimis, pratis, pascuis, aquis, silvis et feruitiis, libere possideant; tria quoque molendina in litore Albis fluvii cum facultate ibidem piscandi habeant. Que omnia ut tam ad futurorum quam presentium notitiam perveniant, huic pagine inseruimus, et ut inconcussa famulis Dei permaneant, banno beatorum apostolorum Petri et Pauli et auctoritate Sancte Romane ecclesie nec non nostre humilitatis privilegio eis confirmamus. Omnibus ergo bone voluntatis ergo prenominationum locum existentibus eumque simul et jura ejus ab injuria defendentibus gratia et pax in presenti multiplicetur et in futura vita eterna super erogetur. Qui vero eum maligne perturbaverint et a quiete seu profectu suo deficere fecerint, ipsi, nisi digne reatum suum emendaverint, sicut fumus deficient, et sicut fluit cera a facie ignis, sic e facie dei cum peccatoribus in eternum pereant amen. Hujus rei testes sunt: Walo Havelbergensis Episcopus, Wolmarus Brandenburgensis Episcopus, Sifridus Nienburgensis abbas, Rokerus majoris ecclesie prepositus, Heidenricus Hallensis prepositus, Gunterus de gratia Dei prepositus, Hupertus**) Havelbergensis prepositus, Reinerus prepositus de Liezeka, Sifridus Decanus, Heinrichus prepositus ecclesie S. Sebastiani, Balderamus ecclesie beate Marie prepositus, Albertus, Gero, Conradus, Ulricus et Conradus, Magdeburgensis ecclesie Canonici. De laicis vero Otto Marchio Brandenburgensis, cum filiis suis Ottone et Hinrico, Burchardus Burgravius de Magdeburg, Theodoricus de Wichmannsdorp, Sifridus Burgravius de Arneborch, Bruno de Siersleue, Bruno de Gersleue; de Ministerialibus quoque Magdeburgensis ecclesie Hinricus de Jercho cum filio suo Alberto et fratre suo Rodolfo, Conradus Scultetus de Magdeburg, Richardus et Conradus de Alslene et alii quam plures. Acta sunt autem hec in ciuitate Magdeburgensi, anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXXII.; Epacta XXIII., Indictione II., Concurrente IV., regnante Domino Frederico gloriosissimo Romanorum imperatore semper Augusto feliciter amen.

Nach einer Copie des Geh. Staats-Archives aus dem 15. Jahrhunderte. Fehlerhaft in Buchholz's Gesch. der Churm. Br. Thl. IV., S. 19. Gercken's Cod. VII., S. 10—15.

II. Papsf Clemens III. bestätigt dem Bisthume Schwerin seine Diöcese und seine Besizungen im Jahre 1189.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Bernoni, Megapolitanae Ecclesie Episcopo etc. — tu venerabilis in christo frater, Episcopo Berno, ad praedicandum pagani et feminandum verbum fidei institutus, exposuisti te ipsum laboribus et — periculis et in anxietatibus multis sparsisti semen Divinum, et erogasti talentum tibi creditum ad usuram, et gentes plurimas, quae

*) Mspt.: Siuica. **) Mspt.: Humbertus, Buchholz: Rupertus.